



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Meditationes De Præcipvis Fidei Nostræ Mysteriis**

Vitæ ac Passionis D.N. Iesv Christi; Et B.V. Mariæ; Sanctorumq[ue] et  
Euangeliorum occurrentium Cum Orationis Mentalis circa eadem praxi In  
sex partes tributæ

Qvae Meditationes Complectitvr circa omnia Christi Domini Acta, ab eius  
Baptismo ad finem vsque Prædictionis, Doctrinam, Miracula, Parabolas

**Puente, Luis de la**

**Coloniae, 1612**

25. De conuersione S. Mariæ Magdalenæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54633)

miraculū meditamur, perpendēdus est Ipiri-  
tualis effectus, quem in infirmo efficiebat; &  
quem, in vtilitatem nostram, idem significa-  
bat. Nam, vt corporis morbi animæ morbos *Ioan. 9. 14.*  
inducant; ita horum curatio occultam illorum  
curationem referebat. Quæ omnia in subse-  
quentibus meditationibus apparebunt, inci-  
piemus autem à conuersionibus peccatorum,  
quarum Euangelistæ mentionem faciunt.

MEDITATIO XXV.  
DE CONVERSIONE  
B. Magdalenæ.



ROGABAT IESVM a quidam a *Luc. 7. 36.*  
de Pharisæis, nomine Simon  
vt manducaret cum illo, &  
ecce mulier quæ erat in ciui-  
tate peccatrix, vt cognouit,  
quod accubisset in domo  
Pharisæi, venit ad illum, &  
attulit Alabastrum vnguenti.

PERPENDENDAE hîc sunt primùm huius  
peccatricis qualitates: cùm enim hoc nomine  
appellatur, insinuat eus peccata fuisse car-  
nalia, profunde radicata, & scandalosa, ob  
huiusmodi enim peccata, peccatrices solent  
mulieres nominari. Sed Euangelista non ex-  
pressit horū peccatorum speciem, nam vt A-  
post. ait, *b nec nomen quidē huiusmodi peccato-  
rum decet in vobis nominari.* Sed quoniā postea *b Ephes. 5. 3.*

c *Luc. 8. 2.*c *Marc. 16. 9*

S. Lucas, & Marcus dicunt Christum ab ea *septem dæmonia eiecisse* colligitur eam innumeris peccatis obnoxiam fuisse, quæ septenario illo numero intelliguntur; & quod septem Lethalia peccata, & dæmones, qui illa suggerunt, hospitium, & mansionem in eius anima inuenissent. Ex quo duos affectus eliciam, alterum timoris, de imbecillitate mea; experimentum in ipsa Magdalena accipiens; quæ, ob leuia non vitata, in multa & grauissima peccata prolapsa est; & quod illi euenit, contingere & mihi potest. Alter affectus est confidentiæ, de misericordia Dei: apud quem enim peccatrix hæc remedium inuenit, confidam me etiam illud inuenturum; si, ut secutus sum peccantem, sequar etiam poenitentem.

II.

DEINDE perpendam occasionem, quam hæc mulier habuit ad Christum Dominum nostrum accedendi; quæ fortè fuit, quod aliquam eius concionem audierit; & quod eius mansuetudinem sciret, qua recipiebat peccatores; & super omnia, cælestis inspiratio, quæ illam magno lumine illustrauit; non graues illi penas propter peccata minando, sed obligationes aperiendo, propter quas teneretur, omnium Creatoris præ creaturis diligere, totumque amorem suum in eo collocare, quæ collocabat in creaturis. O pater Cælestis de quo Christus dixit: *d quia nemo posset ad ipsum venire, nisi fuerit ei datum à te,* e *Trabe me ad eius seruitium in vinculis charitatis,* dolentem, quod eum offenderim, qui tot nominibus meretur ab omnibus diligere.

c *Ioan. 6. 65.*c *Osea 11. 4.*

TER

TERTIÒ perpendam promptam illam obedientiam, qua peccatrix hæc diuinæ inspirationi & impulsui paruit: non enim expectauit, donec CHRISTVS ad hospitium suum rediret, in quo manere consueuerat; sed statim atque cognouit, vbi Christus manducaret, etiam in domo aliena, tempore conuiuij, & inter alios inuitatos accessit, vt eum quæret. Vt ex eo discam ego, bona proposita non differre; ac diuinis inspirationibus respondere, præcipuè circa meam conuersionem, memor illius dicti Sapientis, *f Non tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem; subito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.*

## PUNCTVM II.

ET a stans hæc peccatrix retro secus pedes eius, lacrymis coepit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat, quod secum in Alabastro attulerat. In hoc adeò insigni opere perpendenda est perfectæ huius mulieris poenitentia, & excellentes virtutes, quas hic ostendit.

PRIMA fuit magna FIDES ac diuinitatis & Christi misericordiæ æstimatio: credidit enim, ipsum esse Deum, cui soli cõpetit condonare peccata; credidit etiam, se nullo verbo prolato, sicut reuera nullũ protulit, intelligi; & quidquid in corde haberet, ab ipso cognosci; eumq; scire, ad quid illa veniret, quidque

III.

f Eccl. 5. 8.

a Luc. 7. 38.

I.

peteret. Alij ad Christū accedebāt, vt morborū corporis remediū peterēt; de hac sola muliere peccatrice legimus, quod venerit, vt spiritualium morborum tantū remediū impetraret, & veniam peccatorum.

## II.

b Ioan. 3. 2.

SECUNDA virtus fuit heroica HVMILITAS, qua suum honorem contempfit; nihil curans, quid conuix eam videntes de illa dicerent. b *Nicodemus* venit ad Christum, vt eum de suis dubiis consuleret, sed *venit nocte* & humano timore plenus. At *Magdalena* venit ad Christum, vt animæ salutem impetraret: sed venit de die, & amoris diuini plena; humanos omnes timores calcans, & quidquid homines dicerent contemnens, quia totum cor suum in eo collocauerat, vt Deum placaret? Nec solum insignem humilitatis gradum habuit dum in conspectu hominū promptam sese obtulit, vt ab illis contemneretur; sed alterum etiam humilitatis gradum apud Deum obtinuit, dum non ausa ante eius faciem comparere, præ pudore suorum peccatorum, *stetit retro*, seque ad pedes Christi proiecit. O anima mea, humilia te corā Deo, & hominibus; *qui enim se in omnibus rebus, & coram omnibus hominibus humiliat, c coram Deo inueniet gratiam*, eritque postea venerationi angelis, & ipsis etiam hominibus.

c Eccl. 3. 20.

## III.

TERTIA virtus fuit DOLORIS interni amore plenissimi, cui magnos orationis & deuotionis affectus coniunxit, quos illis externis signis manifestabat, nam lacrymis

pedes

pedes Christi rigabat, malos suos gressus deplorans, & ipsius Christi gratia lauari supplicans; eosdem pedes capillis suis tergebat, petens à culpis mundari; eosdem osculabatur, petens cum ipso reconciliari, & pacis osculum veniamque sibi concedi; vnguento illos ungebat, petens se ipsius Christi virtutibus ungi, sublato à se peccatorum foetore, dicitur *in corde tantum suo loquens, vox penitus non audiebatur, et tacensque delictum suum illi cognitum faciebat plusque forationem suam, quam ipsum vnguentum in conspectu Christi effundens, miseras suas, & insignem earum sententiam aperiebat.* Ex his discam excellentissimum quendam orandi modum, non verbis sed affectibus; quos externis actionibus signisque ex igne cordis procedentibus manifestabo, quales sunt gemitus, suspiria, pectoris tunctiones, manuum eleuationes, genuum flexiones vsque ad terram, cum humilitate eam osculando, & similes, quibus sancti, vt seipsum ad deuotionem excitarent, vti consueuerunt, ignis enim qui intus in sinu ardet, statim apparet in vestibus, & spiritus deuotio statim erumpit in corpus.

QUARTA virtus fuit, EXTERIOR POENITENTIA, qua quæ ipsi perditionis causa fuerant, ea fecit instrumenta satisfactionis: dum oculos suos, capillos, labia odores pretiosos, & seipsam totam in Christi seruitio expendit, oblita sui, & omnium quæ non faciebant ad placandum Dominum suum.

dicitur Reg. 1. 12

c Psal. 31.

35.

f. 141. 3.

IV.

X 4

Opere

Opere ipso explens, quod postea Sanctus  
Apostolus faciendam consuluit, Rom. 6. 19.  
g *Sicut exhibuistis membra vestra seruire im-  
munditiei & iniquitati ad iniquitatem; ita  
nunc exhibete membra vestra seruire iustitia in  
sanctificationem. O feruentem poenitentem!  
ô diuinæ inspirationis efficacitatem! Tange  
me Domine tanta efficacitate, vt viscera mea  
omnia contremiscant, omnesque facultates  
ac sensus, in te placando occupentur, h vt sic  
ut fuit sensus meus vt errarem a te, decies tan-  
tum iterum conuersus requirante.*

h Bar. 4. 28

## PUNCTVM III.

a Luc. 7. 39.

**V**IDENS autem Phariseus, qui vocauerat  
IESVM, ait intra se dicens: hic, si esset  
Propheta, sciret utiq, quæ & qualis est  
mulier, quæ tangit eum: quia peccatrix est. Co-  
sidera hîc duo grauia iudicia temeraria huius  
Pharisei, alterum in Christum, alterum in Ma-  
gdalenam, vtrumque ortum ex eo, quod ipse  
superbus esset ac præsumptuosus.

PRIMUM iudicium fuit, quo iudicauit,  
Christum non nouisse, quæ illa esset mulier;  
ac propterea ipsum non esse prophetam; aut  
si illam nouit, ipsum non esse sanctum, quod  
se ab ea tangi, & eo contactu se maculari  
permitteret. In vtroque autem grauiter er-  
rauit, secutus cæterorum Phariseorum, qui  
etiam superbi erant, dictamen, quorum  
illa est apud Isaiam sententia, b qui di-

b Isai. 65. 5.

cant

*cunt recede à me, non appropinques mihi: quia immundus es: quorum poenam subijcit Propheta dicens: Isti fumus erunt in furore meo; ignis ardens tota die, poenas reddentes erroris quidem sui, fumo, superbix verò, igne. O bone Iesu, propheta sancte, sapiens & humilis, nouisti bene Domine, quæ illa sit, quæ tangit te, ac propterea tangi te permittis: vt hoc contactu illa sanctificetur, te impolluto manente; non enim refugis à peccatoribus tangi; quò à suis illi peccatis mudentur.*

SECUNDVM iudicium temerarium fuit, quo de illa muliere iudicaris, quòd quæ antea peccatrix fuisset, etiamnum talis esset; cum tamen sufficientia haberet indicia, quibus eam talem nunc non esse, posset iudicare, quam ad Christi pedes adeò largiter flere videret. Intellegam ex hoc quàm errent superborum hominum iudicia, qui audent adeò temerè aliorum corda & intentiones quæ soli Deo reseruantur, iudicare: malum ex bono ita haurientes, vt ex quo commiserationem & ædificationem sumere deberent, inde occasionem arripiant, proximum contemnendi. Nominatim verò aduertam in hoc Phariseo, deceptionem quandam valdè perniciosam aliquorum, imprimis suis apprahensionibus adeò pertinaciù, vt quæ semel improbitatis nota signauerint, nunquã ampliò sibi persuadere possint eundem esse probum; adeoque semper illum suspectum habent, vt quamuis aperta videant signa eius in melius mutationis, fidem nullam

II.

adhibent, & difficilius ipsi proprium iudicium mutant, quam malam alij vitam. Quod si tales sint superiores, occasionem subditis adferunt desperationis, quia non credunt eorum pœnitentiæ, sicut crediderunt culpæ; In quo etiam infinitæ Dei bonitati iniuriam faciunt, cuius est proprium, obliuisci peccatorum, si quem illorum pœnitet, & honore ac fauore prosequi eum, qui, etsi peccauit aliquandò, emendauit se tamen.

## PUNCTVM IV.

2 Luc. 7. 40.

**I**NTELLIGENS a Iesus Pharisei cogitationes dixit ad illum, *Simon habeo tibi aliquid dicere, at ille ait, Magister, dic.* in hoc perpendam diuinam Christi sapientiam, qui, vt iudex est vniuersalis, aspiciens peccatricem, & pharisæum, vtriusque tacentis cogitationes cognouit, tam bonas illius pœnitentis, quam peruersas & temerarias pharisæi: de quibus ipse admirabile, iustissimum, ac misericordia plenissimum iudicium fecit, illas approbando & has condemnando, vtrumque in vtilitatem vtriusque. Cœlesti enim prudentiâ respondit pro illa muliere, vt illam honorans, pharisæo præponeret; repressit verò pharisæi temeritatem vt eam curaret: ostendens se esse Prophetam, & agnoscere, quæ illa esset mulier.

lier, cuius cognosceret cogitationes.

SIMVL autem magnam ostendit humilitatem & modestiam: nam cum Simon illum inuissset, essetque in illius domo, cum illum corripere statuisset, prius ciuilitate ab eo quasi licentiam petijt, verbum aliquod dicendi: nec tamen statim atque illam obtinuit, illum repræhendit aut condemnauit; sed plausible quadam parabola sensim illum disposuit. vt hinc discamus mansuetudinem, & modestiam, quæ adhiberi debet in corrigendis viris peritis, amicis, & magnatibus, quò nostra correctio fructum illis adferat: sicut etiam fecit *Nathan propheta*, qui iussu Domini corripuit David Regem, cui peccatum illius proposuit sub quadam parabola, qua illum induxit ad veram poenitentiam.

b 2. Re. 12. 7

PARABOLA, qua Christus vsus est ad Simonem, hæc fuit, *duo debitores erant cuidam fœneratori; vnus debebat ei denarios quingentos & alius quinquaginta. Non habentibus illis vnde redderent, donauit vtrisque: quis ergò eum plus diligit? respondens Simon, dixit; aestimo quia is, cui plus donauit, at ille dixit ei, rectè iudicasti.* supra hanc parabolam, considerandum primum in genere mysterium, quod in se claudit, expendendo, quis ille sit creditor, & qui debitores? quis plus & quis minus debeat? vnde fiat, vt non habeât vnde reddant, & qua ratiõe

II

vtrique

utrique donetur, ac demique quis debitorum plus amet eum qui ipsi donauit.

I.

c Col. 2. 14.

PRIMUM creditor est Deus, quem nostris peccatis offendimus, & habet aduersum nos scripturam obligatoriam, quam Apostolus vocat *chirographum decreti*; quod erat *contrarium nobis*, est inquam chirographum illud Dei decreto firmatum, quo peccatores rei fiunt pœnæ temporalis & æternæ, quam peccata nostra meruerunt. Et quoniam infinite sapiens est ac potens, non potest debitor illum decipere, aut effugere.

II.

d Ps. 18. 14.

DEBITORES sumus homines, quorum aliqui plus, aliqui minus debent, ob plura & grauiora peccata. Aliqui debent quinquaginta, quod s. suis sensibus decem legis Dei mandata sint transgressi; alij debent quingentos, quia eadem sapius violarunt, contemnent etiam Ecclesiæ præcepta, & propria status ipsorum, & denique legis euangelicæ, quæ centenario numero significata, perfectionem complectitur. Inter hos ego meipsum numerabo, persuasus, me plus debere quam cogitem; sunt enim multa debita ipsi debitori occulta, quæ creditori sunt manifesta, quorum causa dixit Dauid, *dab occultis meis munda me Domine.*

III.

c Iob. 9. 3.

TERTIÒ hi debitores non possunt debitum reddere; e *Quia non poterit ei respondere vnum pro mille.* est enim impossibile nostris viribus Deo pro nostris culpis satisfacere; aut mereri vt nobis illa dimittat; aut chirographum de-

leat

leat obligationis, quod contra nos habet: quod propterea semper integrum remâsisset nisi ipse Deus ex infinita sua misericordia factus fuisset homo, & passione ac morte sua *illud deleuisset, & è medio sublatum cruci affixisset*, cuius virtute gratis nobis condonat culpas mediâ pœnitentiâ, vt obstringat nos ad ipsum amandum ex toto nostro corde, ob infinitam ipsius bonitatem quam ostendit, dum tantum debitum ad eò vili mancipio cōdonat: quò illud ad ipsum reamandum, eisdemque seruiendum prouocet.

f Col. 2.14.

Ex quo fit, vt qui maior fuerit peccator, postquam Deus illi donauit, magis obstrictus hoc nomine maneat ad plus amandum, eò quòd maius acceperit beneficium, in tam longa ad pœnitentiam expectatione, & grauiorum culparum remissione, & à grauioribus pœnis liberatione.

IV.

ET SI cœlesti lumine hoc beneficium agnoscat, ita faciet, gratum se, ei qui illud contulit, ostendendo. Et eo respicit hæc parabola. Nam plus aut minus Deum diligere, non tam ex eo dependet, quòd maior aut minor fuerit peccator; quàm quòd plus aut minus peccatorum suorum grauitatem agnoscat. Et quia superbi (qualis iste erat Phariseus) parum existimant se Deo debere; exiguamque habent culparum suarum cognitionem, quas paruas esse existimant; ita parum Deum diligunt, quia beneficium remissionis illarum paruum existimant. Qui verò se graues iudi-

cant

cant peccatores, & multitudinis ac grauitatis peccatorum suorum profundam habent cognitionem, multum Deum amant, quando illis remittuntur; iudicantes, magnum hoc esse beneficium. O Deus liberalissime & benignissime, ex toto corde desidero te diligere, siquidem loco supplicij, quod te offendendo promerui, peccata mea mihi donas, vt te diligam; fateor multa esse grauiora peccata mea; & pro eis cupio, multa & magna seruitia reddere.

## PUNCTVM V.

**H**IC perpendam, qua ratione Christus Dominus hanc parabolam mulieri, qui se magnam peccatricem existimabat, & Phariseo qui iustum se, aut minus peccatorem putabat, accommodauerit, nam a conuersus ad mulierem, dixit Simoni, vides hanc mulierem? intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti, vt, si voluissem, eos lauarem; hac autem lacrymis rigauit pedes meos, & non liuteo aliquo, sed capillis suis terfit; osculum mihi pacis non dedisti; hac autem ex quo intraui, non cessauit osculari pedes meos; oleo caput meum non unxisti, hac autem pretioso vnguento unxit pedes meos; propter quod dico tibi, remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum, cui autem minus dimittitur,

a Luc. 7. 44

min.

*minus diligit*, atque si diceret, mulier hæc existimat, se multum debere: ideoque maius à me beneficium expectat, ut tantum debitum illi remittam; ideoque me dilexit multum, ut opere ipso ostendit: & ego illi multa donavi peccata, quia hoc suo amore se ad id bene disposuit. tu autem existimas te parum debere; ideoque paruum expectas beneficium, etiamsi tibi donem: & propterea parum diligis.

PRIMUM hic considerandum, Christum Dominum exemplo magnorum peccatorum, qui conuertuntur, confundere plerunque eos, qui se iustos existimant; ideoque suadet nobis, ut illos inspiciamus & attentius consideremus, dicens, *vides hanc mulierem? vides eius lachrymas? suspiria? humiliationem, confusionem, & tot inuentiones, quas iuenit ad placandum Deum, vides inquam hoc totum? perpende igitur totum bene, & erubescere, quod tam parum tu facias, quo Deus tibi ignoscat.*

NAM *amen* (inquit ipse Christus) *dico vobis quia publicani & meretrices precedent vos in regnum Dei, & eos qui se iustos existimant.*

DEINDE perpendam magnum aliquem peccatorem, feruenti aliquo actu plerumque ad excellentiorem charitatem & sanctitatem peruenire, quàm iustus quispiam tepidus multis actibus, & multis an-

nis,

L

*bMat. 21. 31*

II.

nis, sicut hic euenit Magdalenzæ. Et simul obseruabo, quam sit generosa ratio veniam peccatorum impetrandi, multum Deum amare; amor enim disponit ad veniam peccatorum impetrandam, & cum ea incedit, crescit, & augetur, dum se obstringi videt ad amandum eum, qui tanta illi remittit. O Redemptor mi, erubescio in præsentia huius ad eum feruentis pœnitentis, meam aduertens extremam tepiditatem, *claua quasi Domine sordes huius filie Sion, animæ videlicet mendicæ meæ in spiritu iudicij, & spiritu ardoris, iustitiæ spiritum & charitatis ignem mihi communicando, ut te multum amem, qui tam multa mihi donasti.*

*c Isai. 4. 4.*

PUNCTUM VI.

*a Luc. 7. 48*

**D**IXIT autem Iesus ad mulierem, remittuntur tibi peccata. Et caperunt quasi simul accūbebant dicere intra se, quis est hic, qui etiam peccata dimittit. dixit autem ad mulierem, fides tuate saluam fecit, vade in pace. Perpendam hic primū efficacitatem illius verbi remittantur tibi peccata, quod Christus Dominus à culpa simul & pœna Magdalenam absoluit, & copiosam ei gratiam communicauit, vehementer ipsa exultante, dum illa verba audiret. Et nos decet etiam exultare, siquidem etiam nunc quando confessorij nos absoluunt, eisdem verbis vtuntur, quæ eundem quoque efficient effectum, si habuerimus eandem dispositionem.

ELV CET etiam hiē modestia Christi Domini, qui aduertens circumstantes hærere, quòd audirent, ipsum dimittere peccata, noluit eam remissionem, suæ liberalitati, sed peccatricis fidei tribuere; dicens illi: *fides tuate saluam fecit*, fides videlicet viua, quam de mea diuinitate & potestate, & spes amoris plena, quam de mea misericordia habuisti, salutis tuæ causa fuerunt.

II.

DE NI QVE perpendam, quàm affixa hæreret Magdalena pedibus Christi, à quibus, etiam post optatam veniam peccatorum obtentâ, non volebat discedere, donec illi Christus dixit, *vade in pace*, quandoquidem pacificata iam es cum Deo, & intra teipsam plenariâ tuorum peccatorum indulgentiâ, & plenâ tuarum passionum sensualium victoriâ; totum enim hoc, fas est credere, concessisse liberalitatem huius Domini ei, quæ tantoperè ipsum dilexit. Ac propterea fortassis ei non dixit, quod alijs peccatoribus dicere consuevit, *noli amplius peccare*, vt qui agnosceret magnâ firmitatem illius conuersionis, ob copiosam gratiam, & amorem, quem illi impertiuit. O felices illos qui cum humilitate & charitate ad Christi pedes accedunt, à quibus tam feliciter expediti exurgunt. Accede ò anima mea, magnâ ad eosdē pedes confidentiâ; ample ctere magno amore, statue firmissime, eorū verigia sequi; nec ab eis recedas, donec ipse tibi dixerit, *vade in pace*.

III.